

& legitimorum in *Re Publica* necessitatem, varia, plerumque tamen frustranea effingit dubia, paucis effatum HIPPOCRATIS: (c) *Medicina Artium omnium praeclarissima est. Verum propter ignorantiam eorum qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, qui tales pro Medicis habet omnium Artium vilissima &c. quotidie magis confirmatur.* Cum autem de sola & stricte dicta Medicina, sepositis §. 2. praedictis ejus partibus, de priori vero errore in §. §. seqq. agere decreverim; paucis dubia, contra praedictam Medicorum necessitatem, mota, pro viribus perstringam. E quibus praecipua sunt: *Medicos in R. P. necessarios non esse; cum, Romanorum Rem Publicam ultra 600. annos sine Medicis constitisse, Medicos e R. P. sua proscriptisse, imo servis olim demandatam fuisse Medicinam, historia perhibeant.*

§. IV. *Necessitatem Medicorum in R. P. summam, praeter institutionem divinam §. III. demonstratam, maxime probant Teste doctissimo CONRINGIO (d) (1) vigoris, firmitudinis, roboris & sanitatis, in maxima hominum parte, quotidianum fore decrementum, constitutionis vero morbose incrementum; e luxuria vel penuria rerum, e variis morbis sporadicis, vel accidentaliter solum olim, subinde invadentibus, & observatis, nunc vero vel in habituales confirmatos vel plane hereditarios mutatis, ex aëris & tempestatum noxiis constitutionibus & immutationibus, bellorumque injuriis proveniens. (2) Provoco ad COBERVM (e) gentes, civitates & exercitus majores, in quibus Medici veri, periti vel plane deficiunt, vel quoad numerum minorem cum remediis & auxiliis medicis non sufficiunt, morbi vero contagiosi vel ingruunt vel*

(c) in lege §. 1.

novi causis

Ima in scholio,

(d) de habitus corpor. Germanorum antiqui &

(e) Observationum med. castrenf. decur. I, obs.